

Dissertatio inauguralis medica de rubeolis ... / praeside Carolo Augusto de Bergen ... pro gradu doctoris ... submittit auctor et respondens Iohannes Fridericus Beda ... ad diem XI. Novembris MDCCLII.

Contributors

Beda, Johann Frideric.
Bergen, Carl August von, 1704-1759?
Universität Frankfurt an der Oder.

Publication/Creation

Francofurti ad Viadrum : Typis Iohannis Christiani Winteri, [1752]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/krm2mzuw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

R V B E O L I S

QVAM

A VSPICE DIVINO NUMINE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

D N. CAROLO AVGVSTO DE BERGEN

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. h. t. FAC. MED. DECANO

HAEREDITARIO IN ROSENGARTEN

P R O G R A D V D O C T O R I S

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

LEGITIME IMPETRANDIS

I N A V D I T O R I O M A I O R I

P V B L I C O E R V D I T O R V M E X A M I N I



S V B M I T T I T

A V C T O R E T R E S P O N D E N S

I O H A N N E S F R I D E R I C V S B E D A

F A L C K E N B V R G O - N E O - M A R C H I C V S .

AD DIEM XI. NOVEMBRIS MDCCLII.



FRANCOFVRTI ad VIADRVM

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOGR.

DISSERTATIO IN AEGYPTI MEDICA

DE

V B E O L I

CVAM

A V S P I C E P E V I N O N I Y M I N E

RE P R E S E N T A T O

G R A T I O S A E P A R T E A T H E M M E D I C A E

P R A E S I D E

M. CAROLO AEGYPTO DE BERGELI

MED. DOCT. ET PROF. P. H. D. P. H. D. MED. AEGYPTI

M A G I S T R I O T H E M M E D I C A E

P R O C E R A D V D O C T O R I S

U N I V E R S I T A T I S M E D I C I N A E H O N O R A T I S E T P R I V I L E G I I

L E G I T I M E S U B S C R I P T I S

I N A V D I T O R I O M A G I S T R I

P U B L I C O L E V I T O R I O M E M O R I

S U B S C R I P T I S

A V G U S T O R E T R E S T R O M B O R I

I O H A N N E S F R I E D R I C H S L E B A

I A T R I C I N A E P R O F. P. H. D. P. H. D.

A D D I E M X I N O V E M B R I S M D C C I I I

F R A N C O S T A D T I M E M O R I

M. JOHANNIS CHRISTIANI WINTERS, ACAD. REG. TYPOG.

VIRO

GENEROSISSIMO ET SUMME REVERENDO

DOMINO

GEORGIO BALTHASARI
DE BORCKE

COPIARVM REGIARVM BORVSSICARVM
CENTVRIONI ORDINIS IOHANNITICI EQVITI ET
DESIGNATO COMMENDATORI PRAEFECTV-
RAE LIETZENSIS

HAEREDITARIO IN FALCKENBVRG ET GERSDORFF
RELIQVA

DOMINO AC FAVTORI SVO OPTIMO
OMNIQVE PIETATE DEVENERANDO

DISSERTATIONEM HANC INAUGVRALEM

d. d. d.

AC SE SVAQVE DE MELIORI COMMENDAT

AVCTOR ET RESPONDENS

IOHANNES FRIDERICVS BEDA
FALCKENBVRGO NEO-MARCHICVS.

VIRO

GENEROSISSIMO ET SUMME REVERENDO

DOMINO

GEORGIO BALTHASARI

DE BORCKE

COPULARUM REGIARUM BOVISSEIARUM

CENTVRIOHT ORDINE JOHANNITICI IUSTIT

DESIGNATO COMMENDATOR FRABITOV

Digitized by the Internet Archive

in 2019 with funding from

Wellcome Library

WARRIDITATA

DOMINO AC FAVORI SVO OPTIMO

OMNIOVE PIETATE DEVOTERRIMO

DISSERTATIONEM INVC INVCYALAM

d. d. d.


AG SE SVARVE DE MELIORI COMMENDAT

AVCTOR ET RESPONDENS

JOHANNES FRIEDERICVS BEDA

VALCERNVRO NIO-MARCHIV

<https://archive.org/details/b30783914>



Q. F. F. Q. S.

§. I.

Historiam morborum utilissimam esse medicinae partem nemo facile ibit inficias, cui perspectum est, curam unius cuiusque morbi tumultuarie sine eiusdem cognitione sufficienti, quoad signa, causas, et symptomata suscipi et adornari. Eo certius ergo laudem merentur, meritam consequuntur, qui in morbi haftenus, aut nondum plenarie descripti, aut per fragmenta duntaxat penes auctores commemorati, natura et indole indaganda sedulam collocant operam. Quae cum ita sint, mearum esse partium duxi, ad praxin clinicam propediem accessurus, speciminis inauguralis loco tale seligere argumentum, quod nec nimis tritum, nec adeo sublime, ut captum excederet meum, nec ab officii, quod palam professurus sum, ratione nimis alienum foret. Quam itaque diu mecum animo volui dicendi materiam, morbus est exanthematicus, pueris imprimis familiaris, quem vulgo *rubeolas*, *die Ritteln* vocant, morbus non quidem oppido lethalis, qui tamen nihilofecius seriam contem-

plationem poscit, quo certius est stragem puerorum, si epidemice grassatur, ipsi in acceptis ferendam esse.

§. II.

Rubeolarum nomine medici intelligunt exanthemata rubra, erysipelatis indolem referentia, ope febris plus minus acutae ac continuae ad cutem propulsa, quae figura, colore, magnitudine, duratione morbi, copiosa desquamatione, a morbillis, purpura miliari, febre urticata, aliisque exanthematicis adfectibus sese distinguunt.

§. III.

In etymologiam inquisiturus existimo neotericos medicos hoc vocabulum, quod Romanis erat incognitum introduxisse, quodque sine dubio a verbo *rubere*, vel substantiuo *rubor*, quam bona vel mala auctoritate, meum non est disquirere, suam trahit originem, cuiusque mentionem iam apud DAN. SENNERTVM a) legi. Neque vniuersaliter adeo hunc terminum receptum vidi, qui in omnium medicorum scriptis occurreret, quin potius apud Italos nomen *Rossaliae* vel *Rossaniae* inualuerit. Sunt tamen inter hodiernos, qui rossaliam a rubeolis iterum distinguunt, ut pluribus infra patebit. Sic et alii ad erysipelatis indolem pressius attendentes *Rosulas* appellarunt morbum. Aliis audit *purpura infantum*, a qua tamen me iudice suo iure distinguendus venit. In verbis autem nummorum valorem habentibus, cum facilem se praebere oporteat, mihi perinde est, quo nomine salutentur rubeolae, dummodo nihil omittam, quod ad pleniorum earundem historiam attinet. Germani vocant hic locorum *die Ritteln*, sed perperam, ut mihi videtur, cum potius ob intensum, quo stipantur ruborem, *die Rötheln* vocandae sint.

§. IV.

a) Lib. de febribus p. m. 512.

§. IV.

Totius morbi decursum probe perpendenti mihi, tria, quibus decurrit tempora, hic obseruanda sunt, nempe *tempus inuasionis, tempus efflorescentiae, et tempus desquamationis*, quae communibus aequae ac propriis signis se manifestant.

§. V.

Cum signis inuasionis (§. 4.) ita comparatum est, ut pleraque communia sint cum reliquis febribus exanthematicis, nec nisi ex genio imperantis morbi specialem suam indolem sortiantur. Diuidi autem possunt in ea, quae ante febrim adsunt, et in ea, quae febrim concomitantur. Priora sunt torpor totius corporis, dolor grauatius capitis, dorsi, et pedum *b)*, catarrhus et tussis cum oppletionem pectoris *c)* et rhoncho, cum perpetua in somnum procliuitate *d)*. Febre, eaque sat valida successiue superueniente calor increfcit molestus cum adpetitu deiecto *e)*, inquietudine summa *f)*, oculorum pene lacrimantium hebetatione *g)*, deliriis *h)*, capitis dolore vertiginoso *i)*, aliquando cum paucibus sub somno et narium haemorrhagia *k)*.

§. VI.

Tertio vel quarto a febris inuadentis (§. 5.) die prorumpunt sparsim maculae dilute rubentes et flammeae, rosarum instar igneae naturae, eo fere ritu, quo morbilli, sensim tamen his ipsis vberius se diffundentes, nam cum morbus ad *ἀγμῆν* peruenit, corpus quasi ignitum apparet *l)*.

Cre-

b) Bressl. Sammlungen Mens. Mai 1722. p. 456. *c)* ibid. 1718. p. 31. DAN. SENNERT. l. c. *d)* OL. BORRICHIVS Act. Hassn. Vol. Vto p. 153. *e)* I. N. PECHLINI obseruat. Hamb. 1691. in 4. p. 251. *f)* O. BORRICH. l. c. *g)* ibid. et Bressl. Sammlungen 1722. p. 456. *h)* O. BORRICH. l. c. *i)* Hist. morbor. Vratislav. 1702. p. 38. *k)* Bressl. Sammlungen 1718. p. 456. *l)* Hist. morb. Vratislav. l. c.

Crediderim vero, si fides habenda scriptoribus, quae utique habenda, pro natura et indole miasmatis rubeolarum pro-
 ruptionis modum et formam pustularum quodammodo inter
 se differre, maxime si diuersis temporibus grassatur morbus.
 Sic O. BORRICHIVS *m)* vniuersam cutim sparsam vidit
 maculis latis, oppido rubentibus, quae circa finem eiusdem
 diei in vnum coeunt omnes, adeo, vt corpus totum quasi pul-
 vere granorum chermes videatur perfriatum, sola facie a ru-
 bore isto liberiori. Alio tempore et loco sparsim coeuntes
 pustulae non totum corpus, sed dorsum et regionem pedo-
 ris, nec non pedes et manus occupant, latissimam macu-
 lam efformantes *n)*. In aliis rursus ista ἐρυθρήματα non sta-
 tim in vniuerso corpore, sed variis locis sese ostendunt, et
 plerumque in carpo manifestiora sunt *o)*, quod ipsum quo-
 que collectores Vratislavienses *p)* obseruarunt, ex latis ma-
 culis, cutim circa carpos instar sarciminis circumambientis at-
 tolentibus. Nonnulli practicum obseruarunt denique co-
 piosissimum pustularum prouentum esse circa mentum, col-
 lum, in lingua et faucibus.

§. VII.

Ipse pustulae constantem adeo formam non seruant
 quouis tempore et loco, quin aliquando tantisper a se rece-
 dant. Igneam ipsarum naturam O. BORRICHIVS (§. 6.)
 comparat pulueri granorum chermes cuti attrito. SENNER-
 TO *q)* vocantur pusilla tubercula rubea cum calore et tussi,
 mihi sub exiguorum erysipelatum forma visae sunt papulae.
 Aliis ignitae apparent cum vix effatu digno tumore *r)*.
 Saepe haec exanthemata alicam densissime cuti inspersam re-
 ferunt cum fundo purpureo, in cuius medio pustula lymphati-
 ca apparet, aliis aderant magnae et protuberantes, ternari-
 um

m) l. c. *n)* Hist. morb. Vratislav. 1701. p. 24. *o)* I. N. PECH-
 LIN. l. c. *p)* 1718. p. 32. *q)* l. c. *r)* Hist. morb. Vrat. l. c.

um circuitu superantes maculae r), in quibusdam iterum in superficie cutis rubicundissimae, nil nisi minimae pustulae densissime sparsae, et in statu morbi fere milii granum superantes apparent t), et semel notatum legi quasdam ex his pustulis suppurasse u).

§. VIII.

A termino eruptionis pustulae per tres vel quatuor dies in eodem perseverant statu, donec septimo vel octavo die declinare incipit aegritudo, imminuto calore, cutis rube- dine, et maculis, quae antea quasi omnes confluerant, ite- rum distincte apparentibus, tandem cuticula squamatim de- cidit w), cutisque pristinum nitorem recuperat. An vero nullus exanthematicus et febrilis existat adfectus, in quo tam copiosa desquamatio, quam in rubeolis? pro certo non dixe- rim, cum mihi constet, febrim miliarem albam sub copiosis- simis squamulis deciduis valedicere.

§. IX.

Toto ceteroquin morbi decursu, imprimis, si grauior- is indolis fuerit, vehementer adfligit sitis, adsunt vigiliae, adurit calor vehemens, alius segnis admodum, adpetitus prorsus languet, vrina flammea ac rutilans, pulsus celer et durus est, membra, imprimis facies et brachia tument, aliis copiosus sudor, aliis sudor et halitus oris foetidus x). In leuiori morbi gradu cuncta symptomata sunt remissiora, ae- gri vix per duos tresue dies lecto sunt affixi, prorumpen- tibus papulis calor cessat et alacres sunt.

§. X.

Propter insignem diuersitatem symptomatum, pro grauiori, vel leuiori morbi gradu medici rubeolas diuidunt

B

in

r) Bressl. Sammlungen 1718. pag. 32. t) ibid. 1722. pag. 456.
 u) ibid. w) Hist. morb. Vrat. ibid. x) Bressl. Sammlungen
 1722. p. 456.

in *benignas et malignas*, quarum posteriores ex obseruatione Dom. Praesidis adfectus anginosos *y*) paucorum dierum spatio funestos post se relinquunt, aliorum vero testimonio, praeter superuenientes aphthodaeas, inflammatorias, congestiones, febris miliaris rubra vel alba simul complicatur *z*). Communiter si malignus fuerit morbus, contagiosus quoque audit, non vero dixerim contagium hic semper cum malignitate pari passu ambulare, quippe obstat obseruatio I. N. PECHLINI *a*) cuius de rubeolis benignis sequentia sunt: „Sed quid dicam de exanthematum genere, quod morbillorum specie totos saepe terrarum tractus infestat, et ante „hos sex annos, quod, quando superior mihi Germania cum „principe persona decurrenda, Palatinatum et Sueuiam occupabat, cuique tributum ipse quoque cum plerisque itineris sociis pendere debebam. Leuculus erat ille morbus „*Rötheln* nomine notus, qui nullo habito sexus et aetatis discrimine promiscue omnes inuadebat. Paucissimis erat funestus, aliquos diem, biduum, triduum, lecto affigebat, plerisque tamen molestia quadam et calore paulo intensiore, adpetitu deiecto et membrorum segnitie multabat, quae sponte a sumto sudorifero cessabant.

§. XI.

Praeterea notandum est rubeolas (§. 2.) pro genio regnantis epidemicae constitutionis non semper solas inuadere, sed nunc morbillis interspergi, nunc sanatis variolis superuenire *b*), nunc seorsim incedentes purpura rubra complicari *c*).

§. XII.


Ad plenariam morbi cognitionem conducit quoque recen-

y) Commerc. litter. Norimb. 1736. p. 100. *z*) Bressl. Sammlungen 1722. p. 137. *a*) l. c. *b*) D. SENNERTVS l. c. *c*) Bressl. Sammlungen l. c.

cenſere criteria, quibus ab aliis ſimilibus morbis exanthematicis differunt rubeolae (§. 2.). A *variolis* itaque differunt grauiori febre, diuturniori decubitu, noua iterum febre circa vndecimum diem accenſa, puſtulis denique pus formantibus et cicatrices relinquentibus. Imo licet variolae dentur benignae adeo indolis, vt infantēs neutiſquam decumbentes vix aegrotare videantur, tamen puſtularum natura, et morbus in plures dies protractus, ſat discriminis largitur. *Variolae spuriae*, die *Windpocken* (*petite verole volante*) ſe diſtingunt a rubeolis puſtulis maioribus, aquoſis, haud adeo confertis, nec confluentibus, nec totam cuticulam ita inflammantibus. *Morbilli*, qui puſtularum rubedine et natura eryſipelacea, reliquiſque ſignis inuaſionis (§. 5.), nec non exitu in adfectus anginoſos cum rubeolis conueniunt, ab his differunt, quod non vna continuata rubedine cuticulam perfundant, puſtulae magis ſint vniformes, et albicantem, ac ſi farina conſperſa eſſet, cuticulam relinquant. Hoc etiam ſingulare habent, quod illis debito quamuis tempore euaneſcentibus febris, tuſſis, reſpirandi difficultas, increſcat.

§. XIII.

Purpura rubra eaque *ſcorbutica* omni caret febre, huic autem, quae ſociata eſt, raro ſeptem vel nouem dierum ſpatio decurrit, et puſtulas habet rubras, vix totum corpus, ſed maxime collum, pectus, brachia et femora occupantes. *Febris miliaris alba*, morbus oppido grauis et malignus, adultos magis, quam infantēs adoriens, puſtulis magnis, lympham continentibus, et inſtar margaritarum pellucentibus, diuturniorique mora ſe facile diſtinguit a rubeolis. *Febris urticata*, die *Neffelſucht*, eſt quaſi noua purpurae ſpecies, quae ſub difficultate ſpirandi, et quadam praecordiorum anxietate, ſpecioſos in cute flores pingit purpureos, late ſe diffundentes, non compreſſos, aut planos, ſed elatos, puncturis et ardoribus ab urtica adſines, quaeque praeter prurimum non habet ſaeua ſymptomata. *Febris ſcarlatina*, das *Scharlach-Fieber*



ber, medicis quoque distinguitur a rubeolis (§. 2.), maiori cutis aspredine, quae siccitas et aspredo cutis quibusdam *d*) pathognomonicum signum est, quo a rubeolis dignoscitur, maiori rubedinis intensitate et diffusione per totam corporis cuticulam, a capite ad calcem, ut patientium externus aspectus referat ideam cocti astaci *e*), denique grauiori morbi indole, cum circa finem vel aphthodeo-inflammatoriae congestiones in faucibus *f*), vel metastasis materiae ad articulos extremorum cum vehementi dolore sequantur, vel ex mali ferocia pedes intumescant, vel hypochondria tumida relinquuntur, subsecuto tumore abdominis et hydrope *g*). Tandem rubeolae (§. 2.) non sunt confundendae cum *roseolis saltantibus* M. A. SEVERINI *h*), quae sunt tubercula fabae magnitudinis, seu verae epinyctidae Graecorum.

§. XIV.

At enim vero, si descriptionem febris scarlatinae sedula meditatione perpendo, quam primus dedit accuratissimus TH. SYDENHAMVS *i*) sequentibus verbis: „(Scarlatina febris, licet nullo non tempore possit incidere, ut plurimum tamen exeunte aestiuo se prodit, quo quidem, integras familias, infantes vero prae ceteris infestat. Rigent horrentque sub initio, ut in aliis febribus - - neque vehementer admodum aegrotant, postea cutis vniuersa maculis paruis rubris interstinguitur, crebrioribus certe et multo latioribus, magis rubentibus, at non perinde vni formibus, ac sunt illae, quae morbillos constituunt. Ad duos tresue dies persistunt hae maculae, quibus demum evanescentibus, decedenteque subiecta cuticula, restant furfuraceae quaedam squamulae ad instar farinae corpori insper-


d) Hist. morb. Vratislav. 1702. p. 38. *e*) Act. Med. Berol. Dec. I. Vol. II. p. 20. *f*) D. SENNERT. I. c. et Act. Med. Berol. ibid. *g*) Hist. morb. Vratislav. ibid. *h*) de recondita abscessuum natura p. 385. *i*) Operum med. p. 260.

„sperfae, quae ad secundam, aut tertiam vicem se promunt,
 „conduntque vicissim) non aliter iudicare licet, nisi ru-
 beolas et febrem scarlatinam SYDENHAMI esse re vera vnum
 eundemque morbum, febrem autem scarlatinam Germanorum
 a Scriptoribus Hist. morb. Vratislaviensium, Act. Med. Be-
 rolinensium, et Collect. Vratislaviensium recensitam, esse pa-
 riter rubeolas, sed maioris vehementiae gradu saeuientes,
 et ob febris intensitatem, pluribus adhuc symptomatis sti-
 patas.

§. XV.

Vtrumque (§. 14.) me probare posse arbitror. Et
 quidem, quod primum attinet, febrem scarlatinam
 SYDENHAMI nihil aliud esse, nisi rubeolas: certum est,
 SYDENHAMVM primum huius nominis inuentorem esse,
 nec alicubi in scriptis suis rubeolarum mentionem facere,
 deinde quoque ouum ouo similis esse nequit, quam est
 descriptio febris scarlatinae SYDENHAMI, et rubeolarum
 benignarum historia, quam porro leuem morbum esse scri-
 bit, pueris familiarem, et quo omnes fere, nullo regiminis
 et diaetae vitio commisso, eluctati sunt. Neotericos vero,
 sub nomine febris scarlatinae intellexisse rubeolas, maiori
 febris et symptomatum intensitate stipatas, palam imprimis
 fit relatione medici cuiusdam Liuoniensis de purpura epi-
 demica infantum in Liuonia 1720. grassante, et sequentibus
 verbis *k*) descripta. „Inuadebat haec purpura in quibus-
 „dam infantibus cum horripilatione, sequenti die aderat fe-
 „bris, pulsus celer, frequens, prorumpente sensim purpura, cu-
 „tis coccineo colore perfusa erat cum aliquali in nonnullis as-
 „peritate, vt in morbillis fieri solet. Per tres quatuorue
 „dies efflorescentia persistebat, et glandulis colli ac faucium
 „peruiis manentibus, quod quippe in pueris robustis con-
 „tigit, morbus sine aliis symptomatibus ad finem propera-
 „bat,

k) Bresl. Sammlungen 1721. p. 42.



bat, nisi quod postliminio, adpetitu restituto, inflatio ab-
 dominis, faciei, extremorum, imo totius corporis habitus
 anasarcodes fuerit subsecutus, elapsis aliquot septimanis
 sponte euanescebat - - - qui autem tumentibus glandulis
 colli, parotidibusque corripiebantur delirabant, imo satis
 cedebant - - quo asperior porro cutis, eo magis durabant
 exanthemata, et eo grauior morbus etc.. Ex qua de-
 scriptione huius morbi nunc grauius, nunc leuius adfligen-
 tis, quiuis, qui praeiudiciis et auctoritate non laborat, satis
 videt, morbum hunc leuiori gradu in quibusdam pueris gra-
 fantem, eundem fuisse cum rubeolis, grauius autem alios
 infantes adfligentem eadem symptomata cum febre scarlatina
 recentiorum habuisse. Satis itaque me conuictum esse exi-
 stimo, rubeolas duplici sub facie homines adoriri, et in ca-
 su maioris malignitatis, practicis sub specie noui cuiusdam
 morbi imponere. Ruet proin eorum neotericorum senten-
 tia, qui existimant, rossalias Italorum non esse rubeolas (§. 2.)
 sed febrem scarlatinam, vt taceam ipsos rossalias pro satis
 graui et periculoso morbo habere, consulenti autem PROSP.
 MARTIALEM l) patebit rossalias esse puerorum morbum
 satis leuem, omni periculo carentem, adeoque rubeolis be-
 nignis simillimum.

§. XVI.

Praeuideo autem fore plerosque, qui hoc meum de
 rubeolis et febre scarlatina iudicium temeritatis insimula-
 bunt, quum tot viris in arte claris, cum primis sententiae in
 scholis medicis receptae, obloqui sustineam, sed quid di-
 xerint quaeso, si in medum protulero viros celeberrimos,
 de variolis et morbillis, morbis mihi affatim discrepantibus,
 eandem propemodum sententiam fouentes. Sic Cl. inquit
 ETMULLERVS m) variolas et morbillos non nisi secun-
 dum

l) Comment. ad libros epid. Hippocratis pag. 245. m) Do-
 ctrin. Pr. Lib. I. c. 15.

dum maius et minus differre, et Cl. DOLAEVS *n*) morbillos, rossalias, roseolas siue rubeolas esse synonyma. Salua tamen res est, et victas porrigam manus, quamprimum me quispiam certiozem reddiderit signi cuiusdam pathognomonici perpetui, quo quiuis horum adfectuum constanter dignosci potest.

§. XVII.

Hisce paucis praelibatis, a vero aberrare vix putem, si dixerò erysipelas pustulosum et sparsium P. LOTTICHI *o*), quo mercator febre maligna laborans correptus est; volaticam, quam RAYGERVS *p*) descripsit; variolas sic dictas aureas VIT. RIEDLINI *q*); febrem scarlatinam Edimburgensium cum angina complicatam *r*); similem febrem scarlatinam morbillis Edimburgi 1735 grassantibus sociatam *s*); fuisse adfectus, aut prorsus eosdem cum rubeolis, aut hisce admodum adfines.

§. XVIII.

Prognosis ex his, quae haecenus dicta sunt de morbi nostri natura et indole, facili negotio formatur, si quis ad statum benignitatis vel malignitatis sedulo attendit. Rubeolae quippe benignae, vtpote breuioris decursus leuiculum constituunt morbum, qui prorupto exanthemate, pueros a plerisque in tantum molestis symptomatibus prorsus liberat, vt quatuor vel sex dierum spatio iterum alacres fiant, et pristinae sanitati restituantur. Imo, si et pueri magis aegrotant, et papulae in proruptione magis tergiuersantur, praeter inquietudines, et auctam morositatem, catarrhique ad pectus crescentem quasi adfluxum non saeua obseruantur symptomata.

n) Encyclopaedia med. p. 428. *o*) Obseruat. med. obs 84.
p) THEOPH. BONETTI medicinae septent. Tom. II. p. 226. *q*) Lin. med. an. 1695. p. 387. *r*) Act. Med. Edimburg. Vol. IV. *s*) ibid. Vol. V. P. I. pag. 30.

ta. In rubeolis autem malignis, et vbi circa declinationem affectus anginosi et apthodeae congestiones imminent, de vita periclitantur pusilli. Vbi vero febris huius rubeolaceae tanta est intensitas, vt tota cuticula, sub stasi inflammatoria aspera et sicca fiat, et sic dictam Germanorum febrim scarlatinam constituat, praeter periculum, quod a congestione ad fauces redundat, ex metastasi ad extremitates, vel inflationibus et tumoribus abdominis, ceu peruersis naturae crisibus, aut lenta morte pereunt, aut aegerrime restituuntur.

§. XIX.

In aetiologia huius morbi inquirendae sunt causae antecedentes, seu praedisponentes aeque ac proximiores. Quod priores attinet, cum praetici febrium omnium exanthematicarum, epidemice et cum contagio grassantium, aerem agnoscant auctorem, vero est simile quoque nostri adfectus causas externas et remotiores in atmosphaerae constitutione quaerendas esse. Difficile autem dictu est, cuius indolis et naturae sint particulae, quae cum aere per respirationem, cibum ac potum ita nostris miscentur humoribus, vt tandem totam sanguinis massam inficiant. Nemo quippe mortalium adhuc dum reuelauit naturam et genium molecularum, quae in aere disperfae, pestem, aut variolas, aut morbillos producant, sic et nullibi relatum legi, cuius progeniei sit materia, quae rubeolas epidemice grassantes producit, quantacunque vero tenebrarum in his caligine obfuscata sit cognitio humana, hoc tamen certum est, primos horum adfectuum natales fluido aereo, in quo viuimus, tribuendos esse.

§. XX.

Quantocyus itaque hoc, cuiuscunque indolis sit miasma, humoribus viui corporis est exceptum, natura omnes intendit vires, hoc ipsum, aucto circulatorio motu, ad periph-

phariam corporis expellere. Deferri autem id ad penetralia corporis, cordis et pulmonum sanguinem, anxietates praecordiales, inquietudines (§. 5.), imo et animales actiones laesae satis comprobant. Causa itaque efficiens horum exanthematum est vis vitae, siue aucta circulatio, sordes istas ex interioribus ad peripheriam corporis propellens. Fluctuans igitur intra circulantes humores miasma, non prius fixam sedem acquirit, quam proruptione facta, ubi tunc lymphatico latici copulatum in vasis cutaneis haeret subsistitque, hic vero, vel propter suam spissitudinem, vel vasculorum cutaneorum constrictionem perspirare nequit, sed morem nebens, poros cuticulae opplet, et intercuticulam et cutim, ad finem vasorum exhalantium coaceruat, eamque eleuando a cute separat, sicque sui generis papulas et maculas efformat. Hallucinantur autem, qui sedem huius et alterius leuioris exanthematis, in ipsa cuticula ponunt, quae vasculis prorsus destituta, hanc praeternaturalem excretionem in se recipere nequit. Insignem quoque partem huius miasmatis, non in istiusmodi papulas formari, sed continuata perspiratione in auras auolare, contagium satis docet, quod non aliunde prouenit, nisi ab aere conclauium aegrotantium clauso, atque hoc miasmate magis magisque impraegnato et saturo. Siccae, salinae, et terrestres naturae esse hos humores exanthemata formantes, totius morbi natura ac decursus comprobat, qui non in pustulas suppurantes, sed in successiuam desquamationem transit, quo ipso simul liquet, in auras auolante lympham per transpirationem, residuam manere partem terrestrem et salinam, spiculis suis antiquam epidermidem lacerantem. Aephagiam puerorum quidam huius morbi causas adnumerant, quod tamen ideo non dixerim, quoniam non omnes voraces sunt pueri, non omnes peruersa utuntur diaeta; rubeolae autem instar morbillorum et variolarum epidemice grassantur, et promiscue omnes infantes, siue voraces sint, siue minus, siue laudabilem, siue peruersam seruent diaetam, corripiunt.

tamen inficior, voraces et repletos grauius adfici posse hoc morbo.

§. XXI.

Curatio prae aliis morbis exanthematicis nihil sibi vindicat peculiare, sed ob adfinitatem causae ferme cum morbilis coincidit, atque adeo in promouenda libera transpiratione per diaphoretica fixa, et absorbentia marina consistit, cui fini pulueres ex lapidibus cancror., conch. citratis, antimonio diaph., specif. cephal. D. Michaelis, puluer. bez. Sennert. alb., qui, vel per se, vel sub forma potiuncularum ad morem Syluianarum paratarum, cum aquis flor. til., flor. samb., card. bened. scorzon., flor. acaciae, admisto conuenienti syrupo propinari possunt. Aut etiam loco horum emulsiones ex sem. citr. card. bened. amygdal. dulc., cum aqua galeg. flor. samb. fiunt, quibus praedicti pulueres excipiuntur. In regimine temperatus calor magis proficiuus est, quam anxia puerorum sub stragulis et lectis detentio. Denique si pustulae sub eruptionis negotio tergiuersantur, et nunc prorumpunt, nunc iterum retrocedunt, nihil obstat, quo minus aegrotis, vna vel altera vice, mixturam alexipharmacam ex ess. pimp. alb., scord., alexipharm. Stahl., et spirit. nitr. dulcis exhibeamus. In casu maioris malignitatis praedictis pulueribus camphora admisceri, vel seorsim cum largiori nitri depurati dosi propinari potest. Venaesectio, ceu sinistrum hic auxilium negligenda potius est, imprimis, si de malignitate constat. Aphthis simul adparentibus, emulsio ex semine bardanae interne praestat, ad externos vsus autem ex aqua ligustri, melle rosato, et tantillo nitri paratur mixtura, quae linteolis mollibus excepta, labris, linguae, buccis singulis bihoriis affricatur, vt crusta aphtosa soluat. In casu superuenientis anginae ancipiti patiens premitur periculo, medicina medicos fere destituente. Nisi aucta diaphoresi per lenia alexipharmaca, aut retuso inflam-

ma-


mationis feruore, per vaporem calentem aceti sambucini, rosarum et aquae stillaticiae sambuci infundibulo exceptum, et assiduo haustum cum deglutitione et loquela eat breui in melius, de vita actum est. An vero et hic integris nationibus tantopere celebratus fatus ex nido chlorionis, qui ipsis probatum contra omnes tumores colli et faucium existit *ευπορισον*, applicandus foret? nihil hic ego experientia propria destitutus, decernere audeo.

§. XXII.

Possem hic meo de rubeolis specimini finem imponere, nisi vnica superesset quaestio, quae hunc morbum respicit, quam intactam relinquere nolo. Plerique nempe hodiernorum medicorum existimant rubeolas esse morbum prorsus nouum, veteribus plane incognitum, pauci admodum in contrarias eunt partes. Quaeri itaque posset, vtri harum partium calculus adiiciendus sit? equidem ambabus largior manibus novos exoriri morbos antea non visos, testem habeo A. C. CELSVM *w*) ita differentem: „incidere noua morborum genera in quibus nihil adhuc vsus ostenderit. Sed an ideo etiam rubeolae nouum constituent ex sequentibus patebit. Certum est HIPPOCRATIS in scriptis nullibi occurrere terminum qui praecise per rubeolas, roseolas vel rubores verti possit, sed sub nomine *εξανθήματων, έρυθρήματων, έκθύματων*, omnis generis exanthemata, siue duntaxat maculas, siue pustulas constituent, comprehendit. Quidni ergo sub horum nominum significato intellexerit morbillos, rubeolas, reliquosque adfectus epidemicos infantibus familiares, quinimo, quas DVRETVS, LINDANVS EX HIPPOCRATE vertit aspredines, non exanthemata febrium malignarum comites, sed rossaliam putat esse PR. MARTIANVS *x*). Praeterea et A. C. CELSVS *y*), ubi de variis pustulis loquitur,

C 2

w) In praefatione ad lib. de re medica. *x*) Lib. epid, Sect. III. v. 20. *y*) Lib. V. Cap. XXVIII.



tur, haec habet: „Pustularum varia genera sunt, nam modo
 „circa totum corpus, partemque aspredo quaedam fit, si-
 „milis his pustulis, quae ex vrtica vel sudore nascuntur.,,
 Et iterum z) „distat autem ab ea, quia magis exulcerata est,
 „et variis similes pustulas habet, videntur que esse in ea quasi
 „bullulae quaedam, ex quibus interposito tempore squamu-
 „lae resoluntur.,. Quis vero ex his non perspicit C E L S O his
 in locis partim de purpura, morbillis et rubeolis, partim de fe-
 bre vrticata sermonem esse? Clarius recentioribus temporibus,
 et vbi medici Arabes florere discimus ex W E R L H O F I O a)
 „Arabes sub nomine *hhazba* seu *alhazba*, *Hhumrach* seu *alhum-*
 „*rah* intellexisse morbum benignum, inter variolas et mor-
 „billos medium, qui iudice I N G R A S S I A *com. ad Auicen.*
 „*de tumoribus* L. I. p. 194. et teste C O N R I N G I O *Diff. de va-*
 „*riolis et morbillis* §. 4. rossaliam Italorum, vel rubeolas
 „Germanorum constituit. Locus est apud A V I C E N N A M
 L. IV. Fen. I. Tr. IV. C. 6. sub finem.,. Quae verba, si
 cum versione b) H A L Y A B B A S confero: „est species, inquit,
 „aliqua, quae vocatur rubeola, quae ex sanguine fit calido
 „et subtili, non multum malo, et haec species cum ad sta-
 „tum peruenerit, similis fit milii granis, aut paulo maior, nec
 „aperiuntur pustulae sed fluunt.,. Non aliter iudicare pos-
 sum, quam morbillos et rubeolas, purpuram et febrim
 vrticatam antiquis medicis non omnino fuisse incognitas, se-
 cus vero se habere cum variolis et febre miliari alba, quarum
 priores adaperitis transmarinis commerciis ex contagio; po-
 sterior vero ex immoderato aromatum et potus Coffe usu
 apud Europaeos invaluit.

T A N T V M.

- z) Lib. V. ad finem. a) De variolis et anthracibus pag. 63.
 b) Lib. VIII. theoric. C. XIV.





C O R R I G E N D A.

Pag. 8 lin. 20. Ipse l. Ipsae.


- - 12. lin. 11. hydrope l. hydrope pereunt.

- - 13. lin. 2. vicissim l. vicissim.

- - 14. lin. 7. morbrs l. morbus.

- - - - lin. 27. medum l. medium.






BEDA suum nomen TIBI qui concessit, idemque
Annuat a fera posteritate decus.


His paucis
Praenobilissimo Candidato
prospera quaeuis ex animo precatur
Praefes

CAROLVS AVGVSTVS DE BERGEN
M. D. et P. P. O. Facult. Med.
h. t. Decanus.



BEDA dive, dive BEDA,
Tuque dive Apollo noster,
Si probatis hunc calorem,
Quo novum orno Candidatum,
Et venusta Candidati,
Oro, semper hunc tegatis, ut perenne floreat.
Floreat, voletque in omni
Arce, rure et angiportis,
Aegri ubi rubente flamma
Pallidove cinctu onusti,
Luridi vel purpurati,
Gratulentur huic Galeno vir, puella, nuptaque.


N. W.



Post varios casus, post tot discrimina rerum,
Difficilesque vices,
Tandem ad vota venis, tandem, Doctissime BEDA,
Laeta tropaea locas!
Hoc cecini quondam (nec sic ego vatis honores
Posco tamen) memori:
Perfer et obdura, dicens; nam, tristia quae nunc,
Grata aliquando fluent.
Omnia virtuti cedunt. Caelestis Hygaea
En TIBI dextera adest,
Sudoresque TVOS spectat, daphnesque merentis
Nescit honore caput.
Artes TEQUE iubet posthac agitare salubres,
Et fugitare febres.
Hinc honor, hinc latae surget TIBI gloria famae,
Surget opumque seges.
Quae quando euenient, fac ne de pectore nostri
Excidat altus amor.

Honores Academicos in scientia salutari summos
per publicam doctissimae diatribae defensionem
capessenti gratulabatur

M. MART. GEO. CHRISTGAV, R.






Sertis quem nitidis *ὕγιαίνη* cingit, AMICE,
 Accipe nunc meritis praemia digna TVIS.
 Scilicet assiduos arti sacrasse labores,
 Quam probat hoc specimen TE didicisse, iuuat.
 Egregios properes aegris producere fructus,
 Egregius saluum TE quoque fructus alat.

Praenobilissimo ac Dignissimo in arte salutari
 Candidato prosperos quosque conatum
 successus apprecans scripsit

M. IOANNES GOTTHARD NERGER
 Lyc. Viadr. Subrektor.



Sygaea schenkt Dir heut zum wohlverdienten Lohne
 Für Deinen steten Fleiß die heilige Lorberkrone.
 Ich wünsche Glück darzu; der Himmel steh Dir bei,
 Und mache, daß Dein Ruhm stets unverwelklich sei.

Diese wenige Zeilen schrieb zum Angedenken
 des Herrn Candidaten

Friedrich August Cartheuser.
 Med. Cand.

